

V₁ 54-95

V. a 56-97 pag 57^a-59^a
B 5 Vol. II.

DE

69

17

DISCIPLINA
SCHOLASTICA

CONTINUATIONIS PRIMÆ PARTICULA TERTIA.

PROGRAMMA

1,3 zu

14 au 80 A 6231

EXAMINI PUBLICO

INFERIORUM CLASSIUM

STEPHANEI


HOR. POMER. DIER. VII. ET VIII. OCTOBR.

INSTITUENDO

PRÆMISSUM

A

CHRISTIANO GODOFR. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII, TYPIS DELIANIS, MDCCLXV.



Superioribus duobus programmatibus, quibus te-
lam, quam de disciplina scholastica ante aliquot
annos orsus fui, pertexere sum adgressus, ideam
coepi informare ejus, quem ad moderandam ju-
ventutem putarem esse idoneum. De qua re ita
mihi omnis disputatio distributa est, vt aliqua requiri dicerem,
quæ a natura tribuuntur, alia, quæ ex summo beneficio per
Christum parto, humanoque generi impertiendo proficiscun-
tur. Illorum duplex genus est: quorum alterum in corpori-
bus, alterum in animis cernitur. Quid in corporibus esset
spectandum, uno superiorum programmatum ostendi: adjunxi
etiam altero, cum duplex animi vis sit, una cognoscendi, ad-
petendi altera, quali ingenio bonum pædagogum ornatum es-
se conveniret. Itaque superest, ut, quid in voluntate ejus
inesse debeat, demonstrem, & qua eum mentis indole
præditum esse velim.

Atque

HALBERSTADT, TYPIS DELIANTZ, MDCCXXV.



Atque primo quidem satis unicuique adparet: qui insigni aliqua turpitudine laborant, & altioribus ulceribus adfectum & morbidum pectus habent, eos a scholis plane ablegandos esse; ut non modo his formandæ & moderandæ juventutis cura committi non debeat, sed adeo a conspectu ejus, ne pestilentia contage inficiatur arcendi esse videantur. Scio, quod non modo sacræ literæ, sed usus etiam & conscientia unumquemque docent, mortales omnes esse natura non modo ægros, sed mortuos plane in peccatis: idem autem scio, neminem, qui attentius paullo homines consideravit, negaturum esse, inveniri inter homines aliquos sua natura præ ceteris turpes atque foedos: & cum pravi omnes sint, esse tamen in quibusdam singularem perversitatem, & ad aliqua flagitia non communem propensionem, incitationemque. Non est profecto in omnibus canina illa rabies, leonina feritas, vulpina astutia, belluinus furor, foeda atque infamis avaritia, inepta insolentia, levissimarum rerum studium, asinina ignavia, decori atque honesti flagitiosus contemptus, mimica scurrilitas, ferina libido & protervia, quibus aliquos miserorum mortaliū miserum in modum infestari, ceterisque detestabiles fieri videmus. Esset enim actum de humani generis felicitate, si omnes funestissimorum morborum pari vi atque vehementia oppugnarentur aut tenerentur oppressi. Cujusmodi deplorandos dicam, an detestandos homines, quam longissime a scholis amovendos esse, quis non videt? Nec solum, qui pluribus hujusmodi vitiis corrosus animum habent, sed in quibus vel unum dominatur, atque prorumpit, inepti & indigni sunt existimandi, quibus juventutis tenellæ mentes dentur formandæ. Quid enim? nonne periculum est, ne, quibus flagitiosus pædagogus præficitur, ipso exemplo ad ejus similitudinem pertrahantur? cum constet, uti omnes homines, ita pueros præsertim, adolescentescve esse ad imitandos alios pro-



nos, & exempla in illis majorem vim habere seu ad virtutem excitandam, seu ad vitia gignenda, quam præcepta. Quæ cum ita sint, poterit non modo fieri, sed fiet, ut foeda exempla, erumpentibus cupiditatibus, castas puerorum mentes inficiant; ut qui sua sponte ad flagitia accessuri non erant, auctoritate moderatorum eo pertrahantur. Quod præsertim in his non fieri nequit, in quibus eorundem malorum semina sparsa atque recondita sunt: quæ cum in pueris vltro se prodant atque manifestent, etiam tum, cum diligentissime opera datur, ut quibus provocari possent, omnia amoveantur; quanto majore impetu tum prorumpent, cum ejus exemplo, qui reprimere atque retundere debebat, eliciuntur, imo provocantur. Quomodo enim, ut hoc utar, qui natura ferociosiores atque truculentiores sunt, suam ferociam atque importunitatem non prominent, non dominari patientur; cum is, cui regendi dati sunt, his cupiditatibus, quibuscum conflictatur, resistere nequit? & qui arrogantiores sunt, & vani, nonne magis intumescunt, si cum inflato pædagogo illis res est? Facile autem adparet, nihil tam pestilens, quodve cum fine institutionis magis pugnet reperiri posse, quam si in pueris vitiorum germina, quæ evellenda erant, foventur, eliciuntur, aluntur, confirmantur: ad quam rem tamen nihil tam valet, quam magistrorum exempla; præsertim si aliis sibi rebus auctoritatem conciliaverunt. Ergo exemplo non potest ejus modi malus pædagogus non nocere. At præceptis, dicet forte aliquis, consequetur, ut in officio suos contineat. Neque enim ignoro, esse, qui sibi persuadent, posse etiam malos magistros præceptis & doctrina perficere, ut ad virtutem, a qua ipsi alieni sunt, alios instituant, ad Christi verissimum præceptum provocantes, qui suos hortatur, ut verba, non facta in malis doctoribus spectent: sed idem intelligo, usu & experientia comprobari, parum ab illis profici, qui quod ore & verbis docent, vita & factis refellunt: & si vel maxime

xime concederem, posse ejusmodi doctores adulatorum ferri; tamen eos a pueris quam longissime amovendos & segregandos putarem. Primo enim cum gravissime contra ea peccata declamant, quibus constricti ipsi tenentur: pueros suo exemplo impudentiam docent, quo deterius nihil esse potest. Quæ enim major impudentia esse potest, quam quibus servias voluptatibus, quas foveas, quas alas, quibusue delecteris, in eas verbis invehi? atque detestandas dicere, quas omni ratione expetas atque confecteris? Et quæ gravior jactura esse potest, quam pudoris in pueris? pudore enim in puero adolescentulove conservato non sine ratione de eo bene speratur: quemadmodum prostrato atque profligato eo de eo desperandum videtur. Ex quibus rebus illud efficitur, ut is sine insigni damno ad pueros verba de virtutibus facere non possit, qui non potest vita, & factis, quæ aliis persuadere studet, præstare. Secundo frustra in puerorum animis vitia oppugnatum ibit, non modo ea, quibus ipse captus est, sed etiam alia, a quibus forte alienus est. Quæ enim ejus auctoritas erit apud audientes, qui auctoritate sola ducuntur? Pueri enim propter ingenii & ætatis imbecillitatem internam rerum rationem & modum raro comprehendentes, in omnibus fere rebus præceptorum auctoritatem unice sequuntur. Nonne ergo facta & mores magistri intuebuntur potius, quam verba? Aut si alia etiam vitia reprehendet: poteritne is gravis auctor esse ad amplectendam virtutem, quem suarum cupiditatum servum esse norunt. Ex quibus omnibus satis constare arbitror, quod supra posui, eum, qui moderandæ & formandæ juventuti præficiatur, insigni mentis turpitudine commaculatum esse non debere.

Secundo, ut mihi videtur, non potest satis caveri, ne, a quibus puerorum mores formari volumus, ingenio sint, aut truci nimis, & duro; aut nimium indulgente, & molli.



quibusdam hominibus singularis morositas atque importunitas: qui pro difficili sua natura atque acerbitate ingenita ex aliorum hilaritate molestiam capiunt, qui nihil concedendum putant, qui in pessimam partem omnia interpretantur, invidi, suspiciosi, tristes, imo atroces interdum, qui levissima peccata rigidissime observant, accusant, puniunt. Hoc genus hominum, ex quo plagosum Orbilium fuisse suspicor, quemadmodum toti humano generi non molestum esse nequit, sic ad educandos & formandos puerorum mores, utpote plane ineptum, nulla ratione admittendum puto; cum multiplex inde malum non possit non enasci. Deploranda certe esset miserorum puerorum conditio, cuorum ætati proprium a DEO munus tributum est, ut præ ceteris sint hilares & læti: si illis sub tali, tyranno verius, quam magistro esset vivendum; si ob quodvis, vel levissimum, peccatum, quod ab hac ætate abesse non potest, non modo vultus esset subeundus trux, irarum, minarumque plenus, tortori convenientior, quam monitori & præceptori, sed etiam acerbissimæ poenæ sustinendæ. Profecto cum ejusmodi homini pueri committuntur: alterutrum fiet necessario, ut aut abjiciant animos, despondeantve, meticulosi fiant, pusillanimes, & servili potius ingenio quam liberali & ingenuo præditi, quod profecto magnum malum est; aut qui præfidentiores audacioresve sunt, tanto cupidius peccent, animo ad acerbissimas poenas perferendas obstinato; & cum ex molestissimo carcere aliquando exeunt, tanto effusius in scelera omnia ruant, quo se arctioribus, gravioribusque vinculis ante oppressos oneratosque esse senserant. Quare etiam atque etiam providendum est, ne cui, qui sic a natura formatus est, ut plagosum Orbilium referre possit, aditus ad exercendam scholasticam disciplinam pateat: quo alioquin possis recte uti, si ut diligenter, quæ fiunt, observet notetque ei committas, modo ne iudex aut vindex eorum sit, quæ perperam fieri putabit. Alterum autem genus huic



huic oppositum, mollium scilicet hominum, remissorum, leviumque non felicius huic provinciæ præficietur. Hi enim omnia negligunt, ad scelera connivent, eaque impunita esse patiuntur: seu quod otii quietisque amantiore molestias omnes defugiunt, seu pro naturali lenitate & comitate meliora semper sperant, seu insita animi levitate illis ipsis rebus, quæ perpetuam a juventute fiunt, delectantur. Noxii sane homines! Quomodo enim in officio continebunt pueros, cujus ipsi negligentes sunt? aut quomodo ruere non patientur miseram juventutem, quam sustinere, prohibere, imo interdum repellere a malis debebant? Imprimis pueros procaciores, & impotentes, quibus præcipitantibus atque ferocientibus gravitas, severitas, & constantia est opponenda? Accidit interdum, ut contraria hæc vitia in eodem homine reperiantur, summaque levitas, & flagitiosa indulgentia atrocitati, & importunitati succedat: ut qui modo ad facinora connivebat, is paulo post furore & ira percitus levissimas res acerbissime vindicet. Quod cum fit: gravius etiam damnum accipitur. Quæ enim in alterutro genere bona inerant, ea amittuntur: & quæ mala ex uno vitio manabant, hic ex duplicato duplicabuntur.

Tertio intelligent omnes, quo moderatiora in voluntate omnia sint, quo leniores cupiditates, quo parentiores rationi; quo majus honesti, æqui, & decori studium natura cuique insitum; quo magis ad gravitatem & honestatem a natura conformata omnia: tanto quemque magis, si cetera adsint, formandæ juventuti præficiendum esse. Quod enim, cum de ingenii bonis boni pædagogi agerem, monitum est, fore, ut tanto magis ament magistrum pueri, quo majoribus cum ornamentis præditum sentient, amoreque adducti dicto sint audientes, id etiam eveniet, perspecta ejus præclara mentis indole, & in omnibus rebus moderatione. Nec modo dicto erunt magis audientes:



entes : sed, quod pueris naturale est, eum imitari, & se ad præstantissimum exemplar componere volent.

Atque sic a natura informatum esse oportet bonum pædagogum. Restat, ut, quid tum cujusque studio, tum singulari & supernaturali DEI beneficio adjungendum sit consideremus: de qua re hac scriptioe aliquid addere decreveram, quod, paginis precedentibus, in aliud tempus fuit rejiciendum. Sunt enim adhuc tam *Reverendissimi scholæ nostræ Patroni*, quam sacer ordo, quive in urbe nostra literis favent, imprimis parentes eorum, qui inferiores nostras classes frequentant, meo, meorumque collegarum nomine submisit, & diligenter rogandi, ut publico inferiorum ordinum examini proximis diebus Lunæ & Martis, qui erunt a. d. VII. & VI. id. Octobr. post meridiem ab hora II. instituendo adesse velint, & tam docentium quam discipulorum diligentiam, industriamque sua præsentia acuere & remunerari. *Halberstadii, prid. non. Octobr. MDCCCLXV.*



8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895

3



noch nicht verbunden







Farbkarte #13

B.I.G.


69
17

DE
**DISCIPLINA
SCHOLASTICA**
CONTINUATIONIS PRIMÆ PARTICULA TERTIA.

PROGRAMMA
EXAMINI PUBLICO
INFERIORUM CLASSIUM
STEPHANEI

1,3 zu
14 au 80 A 6231

HOR. POMER. DIER. VII. ET VIII. OCTOBR.
INSTITUENDO
PRÆMISSUM
A
CHRISTIANO GODOFR. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII, TYPIS DELLIANIS, MDCCLXV.

